Quelle:
Copyright:

Avicenna lib. II. et III. Canonis medicina.

Codex X. deest

Membran. Fol. maj. Sec. 14.

A. f. 10

Constat 89 foliis, subinde laceris, mucidis, Sec. 14. sed non ab una manu scriptis; in margine multa adnotationes. Continet librum 2dum et 3tium Canonis Avicenna (utrumque autem mutilatum:) juxta versionem latinam Gerardi Cremonensis. Finitum libri secundi est: "Liber Canonis Secundus. Verba principis Abuali. Istorum librorum, quos de medicina specificavimus, primus est de judiciis universalibus in medicina." Post hanc profationem sequitur: "Tractatus primus de complexionibus medicinarum singularium", capitibus sex. Tractatus secundus continet profationculam lib. vali, 12 areolas, et juxta numeros marginales 726 species ad rem medicam pertinentes; ubi autem notandum, in hoc tractatu folia alia deesse, alia turbato ordine esse compacta.

Folio 40mo incipit liber Canonis tertius his verbis: "Dictio prima de universis aegritudinibus capitis tertii libri Canonis in medicina. Capitulum de utilitate capitis et partibus ejus. Inquit Galienus: Intentio in creando caput non est cerebrum." Et hic liber progreditur ad tractatus tertii capitulum 16., "de signis marie universalibus, et specierum ipsius signis", ubi in hoc verba finitur: "postea cum iteratur super eum, non est." Ceterum conduli codicem nostrum cum canone avicenna Venetiis per Luc. Ant. Juntam 1527. impresso, illique, exceptis mutilatis adeo conformem inveni, ut de uno eodem translatore, Gerardo Cremonensi dubium nullum superfit.

De Avicenna vid. Fabr. Biblioth. graec. vol. 10. l. 6. c. 9. pag. 268. item. Lindenius renovatus. pag. 99. et editionem cit. Avicenna in prologo.

Gerardum Cremonensem, medicorum sui temporis facile principem, post multas inter eruditos de patria illius disceptationes Cl. Muratorius Italia restituere non inani labore enisus est Antiq. Ital. T. 2. p. 997. allatoque P. Francisci Pipini in Chronico, vulgato Rer. Ital. Tom. 9. pag. 600 testimonio rem confecit. Pipinus enim iste, qui ad circiter 1215 florebat, ita ejus patriam evulgavit, ut omnem ademerit ambigitatem, scribens: "Gerardus Combardus natione Cremonensis anno 1187. vita defungitur, septuaginta tres annos natus habens cch. Inter opera, quae transtulit, habentur in arte tam physica, quam aliarum facultatum libri septuaginta sex, inter quos Avicenna, et Almagesti Ptolemaei translatio solemnis